

Nomina vero Capitularium: *Jacobus Custos, Nicolaus de Lutbomisl, Wenceslaus de Har dictus Dobrman, Johannes de Dediav, Andreas de Givicz, Petrus dictus Wierdung, Wilhelmus de Rozmital, Bobunco de Gemist, Magister Johannes Kralowicz, Nicol. Vbaldini, Franciscus de Gemiczka, Johannes de Drachkaw, Johannes Kytlicz, Magister Johannes Neostup, Thomas Cantor.* Unde Codicem e *Bohemia* ad nos delatum puto.

CCCCI.

R. 3336 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 199. 4. min. non una manu, plerumque tamen nitide perscriptus, minioque distinctus, paullo tamen, praecipue circa finem, pejus habitus continet *Expositiones V. T. e Libris S. Gregorii Pape* selectas eo vivente a *Paterio* Eccl. Rom. Notario et *Secundicerio*, et hic inscriptas: *In nomine Sanctae Trinitatis incipit Liber testimoniorum veteris testamenti. Quem Paterius De Opusculis sancti Gregorii pape cum summo studio excerpti curavit.* Ita quidem: *Uirtutes Angelice, que divino more (l. amore) fixe perstiterunt &c.* Praeit vero Prooemium ejusmodi: *Cum beatissimi atque apostolici gregorii pontificis nostri &c.* ut in *Exemplo*, quod *Vol. I. P. 1. col. 954.* produxi, et in *Edit. Maur. Opp. Gregorii T. IV. Paris. 1705. P. 2. col. 1.* Cum hac Editione compositus Textus noster inferior quidem discedit,

rectius tamen legit: *me nolente atque hoc cautius &c.* quam: *me volente.* Prooemio succedit Capitulare in *Genesim* idem, quod in *Edit.* sed numeri contracti a *LXXIX.* ad *LXXV.* Dein Opus ipsum, in quo *C. IV.* in fine vel *adbibeat*, vel *ferat* penitus omittitur, nullo sententiae damno. *C. XV.* deest. In principio *C.* edit. *XXII.* quaedam nobis usque ad: *Quatuor modis peccatum &c.* omissa sunt. *C.* edit. *LXXII.* nobis paullo aliter incipit. Inter edit. *C. LXXIII.* et *LXXV.* deest nobis *LXXIV.*

A fol. 30. Incipiunt Capitula Libri *Exodi.* In edit. *LXII.* nobis *LVIII.* quibus *C. III. XI. XVII.* deest. Non possum praeterire lectionem edit. *C. LVII.* *Dum de visione scientiae tractaretur*, ubi notant *Mauriani*, in *Excusis* legi: *de divisione scientiae.* Utrumque prave; manifeste enim restituendum e nostro: *Dum de visione diuinae essentiae.* Ceterum Capitum initia non raro verborum collocatione differunt, quod de toto opere monere velim.

A fol. 55. p. 2. Incipiunt Capitula Libri *Leuitici.* Capitum numerus utrobique *XV. C. XI.* non habet illum procursum, quem in Codice supra memorato *Vol. I.* indicavi.

A fol. 62. Incipiunt Capitula Libri *Numeri.* Sunt utrobique *XXIV.* Ut specimen variationis initiorum dem, en *C. XI.* initium: *Cum de preponendis populo, quod morum in eis eligenda sit grauitas, & non temporum prolixitas requirenda, tractaretur, adjunctum est:*

Con-

Congrega mihi &c. Nec hic Codex C. XXI. excurrit ultra: *Qui cadens apertos habet oculos.*

A fol. 72. p. 2. *Incipiunt Capitula Libri Deuteronomii.* Censentur in edit. XXVIII. in Codice XXVI. reipfa vero tantum XXIV. ultima enim II. *Josuae* sunt, quod Librarius diffimulavit. Absunt autem a Codice C. XVII. XIX. XX. et XXIII. Eadem constitutio est Codicis supra memorati e I. Vol.

A fol. 82. *Incipiunt Capitula Libri Judicum.* Capitula utroque VIII. Initia saepe verbis variant.

A fol. 86. *Incipiunt Capitula Libri Regum.* Edita habent XV. Codici primum breve deest, unum etiam locum mutavit.

A fol. 92. *Incipiunt Capitula Libri II. Regum.* Idem utrinque numerus XV. Finis C. XI. *non vult vindicare* in edit. In Cod. supra cit. *non vult videri*, In Cod. praefenti *non vult videre.*

A fol. 98. p. 2. *Incipiunt Capitula Libri III.* In edit. XIII. fed in Codice postremum in duo dividitur, nec id sine exemplo, ut notarunt *Mauriani*, et nos Vol. I.

A fol. 104. sine inscriptione Capitula L. IV. quorum cum edit. XI. numeramus.

A fol. 109. *Incipiunt capitula Libri Psalmorum.* Horum in edit. sunt CCLXXXVII. in Codice vero tantum CLXXXVI. deprehenditurque e collatione eadem fere deficere, quae ad Exemplar saepe dictum Vol. I. P. 1. col. 958. desiderari laboriose adnotavimus.

A fol. 155. *Parabole Salomonis.* Nullus hic nobis Caputum Index. Adfunt tamen omnia, quae in edit. Capitibus XXXVII. comprehenduntur; imo ad C. XXXV. nobis additur: *unde in euangelio veritas dicit: cui multum datum est, multum requiretur ab eo;* et C. postremum post verba: *etiam robusta deperire*, in continuando *Gregorii L. V. in Job. n. 85. 12. lines* usque ad verba *caritati contradicat*, infumit, quod facit et Codex noster Vol. I. et testibus *Maurianis Vaticanus.*

A fol. 162. Series L. Caputum, quibus pariter Loca *Parabolarum* in diversis Operibus suis a *Gregorio* illustrantur. Nullus iis praefixus Index. Caput I. sic habet: *Cor Sapientium sibimetipsi semper est simile, quia dum rectis persuasionibus acquiescit, constanter se in bono opere dirigit. Cor stultorum, ut ait Salomon, dissimile est, quia, dum mutabilitate se uarium exhibet, nunquam id, quod fuerat, manet.* Habetur istud *Proverb. XV. v. 7.* Commentatio vero *Gregorii* in *Regula Pastor. P. III. c. 18.* Caput postremum illud C. XXXI. v. 27. *Considerat semitas domus suae* &c. de sancta Ecclesia exponit. Nihil *Mauriani* de repetita hac *Parabolarum* excerptione; nullo igitur in Codice eam invenisse videntur. An vero sit *Paterii*? Dicam, quod sentio, et quidem eorum *Praefatione* nixus, in qua repraesentatur ex *Herimanni Chronico S. Martini Tornac. Alulfus monachus omnes libros b. Gregorii saepius relegens, et imitatus Paterium*

rium universas tam veteris quam novi Testamenti sententias ab eo expositas excerpens; refertur item Brunonis cujusdam Prologus Excerptoris pariter Gregoriani, cujus, si loca duo, quae hic describam, perpenderis, fortasse mecum statues, aut hunc, aut Alulfum Spicilegii nostri autorem esse. Sic vero ille de suis Paterii Exemplaribus: *Ibi de Parabolis Salomonis — pauca inveniuntur; Et: dum multa de libris (Gregorii) quorum Codex ille nihil habebat, testimonia sponte occurrerent, placuit mihi majori diligentia, quæque possent inveniri, scrupulosus investigare, et eadem ratione, qua illa vidi per ordinem digesta, colligere.* Adde, quod modus Excerpta proponendi in hoc Spicilegio multum a Pateriano differat.

Fol. 172. p. 2. Index Capitum XXII. in Loca Ecclesiasticis, in quem nihil habet editus Paterius. Modus proponendi idem, ac in praecedenti, unde iterum ad Alulfum aut Brunonem respicio. C. I. ita orditur: Fulgura sancti uiri mittuntur et eunt, cum a secreto contemplationis ad publicum operationis exeunt. Mittuntur et uadunt, cum ab abscondito speculationis intimæ in actiue uite latitudinem diffunduntur. — Vnde bene per Salomonem dicitur: Ad locum, de quo exeunt flumina, reuertentur, ut iterum fluant. Ipsi quippe hic flumina, qui illic fulgura sunt vocati. &c. Locus promptus ex Eccl. C. I. v. 7. Expositio vero ex Homil. V. L. I. in Ezech. Caput postremum exponit Capitis ult. v. 5.

et finit: bene uiuendi ordinem amisit.

A fol. 177. Capitula Canticorum non additis numeris, sed re ipsa sunt LXV. dum in edit. solum XLIX. censentur, a quibus saepe variant nostra vel extensione, vel contractione, vel transpositione, vel interpolatione. Exemplo fit C. I. quod usque ad verba: oris eius oscula accepit, cum edit. conspiciatur, dein vero ita abit: Potest per os dei unigenitus filius designari, qui sicut brachium eius dicitur, quia per eum pater cuncta operatur, de quo propheta ait: et brachium domini cui reuelatum est, et de quo iohannes dicit: omnia per ipsum facta sunt, ita etiam os dicatur, ac si oris nomine patenter diceretur uerbum &c. Unico se Codice usos in edendo Paterio in Cantica testantur Mauriani T. suprac. col. 297. in nota. Non itaque mirum, eos latuisse, quantum Exempla mss. inter se differant. Longus forem, si differentias singulas persequerem, quas indicasse sufficiat, et monuisse, quaedam fortasse curis posterioribus Paterio infarcta fuisse.

A fol. 192. p. 2. Excerptio-num in L. Sapientiae Capita XII. Et haec ita ab editis differunt, ut solum Caput ult. Creator omnipotens deus &c. et ne id quidem totum commune habeant; Codex enim jam in verba: damnabile esse, quod agit, definit. Init vero: Inuidere non possumus, nisi eis &c.

A fol. 195. Capita libri Ecclesiastici, numero XXIV. Si cum editis compares, eadem ratio. Quaedam

dam Capita aliquatenus cum iis conveniunt, quaedam prorsus abeunt, quin in alia *Ecclⁱ* loca commentantur. Redit igitur dubium, an *Paterius*, *Alulfus*, *Bruno*, aliisve dicendus sit Excerptor. *Maurianorum* silentium indicio est, nullum iis Codicem nostro similem in manus venisse. Abstineo pluribus; non enim de Opere *ἀνεκδοτῶ*, sed de *Gregorii* sententiis sermo est, quae alioquin in ejus Operibus vulgatae sunt. Do tamen C. I. initium: *Omnes, qui ea, quae mundi sunt, mente calcant &c.*

Scheda Codici inserta ejus quidem Scriptorem facit *Luitboldum* monachum *Lunaelacensem* nobis pluries memoratum, sed, quae leguntur *fol. 193. p. 2.* eum potius e *Canonia S. Zenonis* in *Tyrolis Lunaelacum* deportatum fuisse probant: *Nota, quod hij 4^{or} pape omnes Donaciones et bona predia et redditus libertates priuilegia Ecclesie sancti Zenonis, liberam electionem pro preposito, vno ex eorum congregatione fratre professo, prout et omnes sollempnitates confirmarunt suis patentibus bullis, Lucius, Eugenius, Alexander, Adrianus.*

CCCCII.

U. 272 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 86. f. min. nitidissime per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, *κρημα* quondam *Job. Alexandri Brassicani* nostri, ut in Theca literae I. A. B. et per decursum plura manus ejus vestigia declarant, et ab eo ad *Job.*

Fabrum Ep. ut Nota impressa Thecae adfixa loquitur, delatus ita minio insignitur: *Incipit praefacio ysidori in explanatione. hystorie. diuine. legis.* Puta *Commentaria in V. T.* allegorica, prout extant edit. *Breulianae Paris. 1601. p. 413. f.* Praefationis initium est: *Historia sacre legis non sine aliqua &c.* et lectio imperfectior editis, nisi malis: *canorum aliquid resonant pro sonorum, item: non nostra legat — relegat pro legit — relegit, item: nostri temporis insigniter eloquenti pro nostris insigniter temporibus.* Sub finem *Augustino* et *Fulgentio* manus *Brassicani* interseruit *Eucherium*, nec abs re, nec certe nisi alterius Codicis fide. Deinceps Libris singulis praefixus est *Capitum Elenchus*, ut in Editis. *Genesis* incipit: *Creatura celi et terre quomodo hystorialiter &c.* nec deest in textu, unde perficiantur Edita. Ita v. g. C. I. *fecit Deus coelum, addendum e Codice et terram.* C. II. *quod in lucis nomine, interponendum, quod in Ecclesia lucis nomine.* Item: *ut ibi suspicientes interponendum spirituales, et mox legendum, quasi inter aquas pro qualiter inter aquas &c.* *Tractatio* integra in *Machabaeis* terminatur: *suntque uniuersa mysteriis consummata. Per dominum nostrum &c.*

Fol. 85. sequitur *Elegia XI. VIII.* Distichorum, quorum tamen duo Versiculi exciderunt. Ea decursa legas: *Explicit liber ysidori in explanatione hystorie legis diuine.* Credas igitur illam ad hoc Opus pertinere, et esse quoddam quasi